

4. Bibliographie der Schriften

**In: PRORECTOR ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ IO.SAMVEL
STRYKIVS,D. SERENISSMÆ VIDVÆ SAXO-ISENACENSIS
CONSILIARIVS AVLICVS, PROF.PVBL.ORDINARIVS, ET ...**

[NOMINE ACADEMIAE EDITVM, ET SVBMINISTRANS EXPLICATIONEM BREVEM
PRIORVM CAPITVM PROVERBIORVM SALOMONIS, INPRIMIS SEPTIMI, OCTAVI
ET NONI.]

Francke, August Hermann

1704

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden. Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

PRORECTOR
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ
IO. SAMVEL
STRYKIVS, D.

SERENISSIMÆ VIDVÆ SAXO-ISENACENSIS
CONSILIARIVS AVLICVS, PROF. PVBL. OR-
DINARIVS, ET FACVLT. IVRIDICÆ
h. t. DECANVS,

Vna cum

PROFESSORIBVS
RELIQVIS
CIVES ACADEMICOS

Ad dies festos, quibus deeffusione Spiri-
tus S. agitur, rite ac pie concelebrandos, ac sapientiam
veram auxilio eiusdem Spiritus solícite quærendam, ani-
moque fideliter complectendam, omnes ac singulos hu-
manissime hortatur atque inuitat.



GRATIAM, MISERICORDIAM ET PACEM
A PATRE, FILIO ET SPIRITU SANCTO!



Non more tantum solemni, sed amore vero erga Vos, o Cives, animos vestros ad piam dierum concelebrationem, quibus de Spiritu S. præcipue agitur, excitaturi, immo ad desiderium, quod adspiret ad beatam S. Spiritus communionem, ope diuina erecturi, altius paulo commonefactionem nostram petimus, nempe ex prioribus nouem *Prouerbiorum Salomonis* capitibus, & imprimis capite septimo, octauo & nono. Si cordi Vobis est, vt esse debet Christianis, verbi diuini amor, non deerit hic, quo animi vestri pascantur; & curæ si Vobis est, vt ea, quæ dicuntur, perpendatis sobrie & percipiat, speramus fore, vt diuina accedente gratia, & ad dies festos, prout fas est, præparemini, & ad sapientiæ, quam solus Dei Spiritus largiri potest, genuinum studium atque culturam mens cuiusque Vestrum, id quod est princeps nostræ adhortationis finis, inflammetur. Agite igitur, o Nostræ, animos aduertite!

Prouerbia Salomonis non ea ratione concinnata sunt, qua doctrinam moralem scriptores plerique, cum veteres, tum recentiores, tradere consueuerunt. His enim vtitissimum est, viuendi præcepta sensu omnibus obuio, & absque pa-
rabo-

rabolarum inuolucro proponere. At *proverbia Salomonis* non tantum habent τὸ γνωμικόν, (sententiosum scribendi genus) sed eam ob causam *Proverbia* seu *paræmia*, immo *ænigmata* a Spiritu S. qui ea inspiravit, vocantur, ut illico unusquisque intelligat, hoc in libro *sub sermone*, qui *alias res pingere ac exprimere videtur*, *alia significari ac doceri*. *Proverbia etenim* מִשְׁלֵּי vocant Hebræi: quæ vox similia potius significat, siue metaphoras, cum unum dicitur, & aliud intelligitur. παρὰ δὲ ὑμῖν, ait Basilus M., παροιμία ἐστὶ λόγος ὡφέλιμος μετ' ἐπιρροΐας μετρίας ἐκδοσμένης, πολὺ μὲν τὸ αὐτόθεν χερίσμον περιέχων, πολλὴν δὲ καὶ ἐν τῷ βάθει τῇ διανοίᾳ συγκαλύπτων, i. e. apud nos vero *proverbum est sermo utilis*, *sub umbra figuraque idonea expressus*, *multum & usus & gravitatis complectens*, *in recessu quoque multum alta sententia contegens*.

Haud immerito dixeris, *Salomonem* eo in genere *typum Christi* exstitisse. De Christo enim vaticinatur Psalter, quod in similibus aperire os suum, & effari, quæ ab orbe condito abditæ fuerunt, debeat; idque in Iesu nostro impletum esse, Matthæus testis est. Ut igitur in *Novo Testamento Christus* per similitudines *mysteria regni Dei* exposuit, quam methodum cum eo nemo Apostolorum ea ratione communem habuit: ita etiam *Salomo in Veteri Testamento*, *superans sapientiæ præstantia*, ut Christum præfiguraret, omnes mortales, singulari hac scribendi ratione gaudet, quæ parabolis tegit arcana sapientiæ diuinæ dogmata, ut ea ex voluntate Dei preman- tur, & apud genuinos sapientiæ discipulos obsignentur.

Iam si quis verum parabolæ (adeoque libri etiam parabolice scripti) sensum adsequi gestiat, recte quidem primo loco id apprehendere studebit, quod littera ipsa primum animo obicit; in hoc vero acquiescendum sibi esse non existimabit, sed procedet longius, idque scrutabitur, quod veluti nucleus cortice, sic parabola sapienter contextum sit. Exemplo sunt discipuli Christi, qui rerum

Flac. Clav.

Baynus in

Prou. vid. et-

iam Gloss. de

voce מִשְׁלֵּי

Philol. S. I. II.

p. m. 337.

Homil. in

Princip. Pro-

verbior.

Ps. LXXVIII, 2.

C. XIII, 35.

1. Reg. IV, 34.

Ec. VIII, 16.

Matth. XIII,
24. seq.

v. 36.

Jac. I, 17.

C. I, 6.

trivialium adeo expertes esse non poterant, ut ea, quæ Christus de *Zizaniis* & agro dixerat, in se non comprehenderent; rem vero parabolice significatam, quia non percipiebant, accedentes ad Dominum rogabant, ut *parabolam zizaniorum* & agri explicaret. Haud dispari ratione in *Prouerbiis Salomonis* litteræ sensus nemini non patet; quæ autem littera abscondit, ut nobis elucescant, impetrandum est a *Patre luminum*, a quo omne bonum donum, & omne munus perfectum superne descendit. Atque hoc ipsum Salomo indicat, quando librum hunc scriptum esse ait ad docendum *prouerbiū* (parabolam) & *interpretationem*, *verba* (doctrinam) *sapientum* & *anigmata eorum*.

Priora autem nouem libri huius capita a sequentibus capitibus eo sunt modo seiuncta, quomodo præfatio talis, quæ luculentius & plenius ad rem in ipso libro tractandam adiutum lectori patefacit; & partem libri non immerito constituere, & ab ipso tamen libro quodammodo seiuncta credi potest. Hoc qui perspexerit, non mirabitur titulum libro præfixum capite decimo, tamquam præfatione finita, repeti, & quasi tum demum ad rem veniatur, ibi denuo dici: *Hæc sunt Prouerbia Salomonis*.

In iis ipsis tamen nouem capitibus scribendi ratio diuersa non est ab ea, quæ deinde a capite decimo ad finem libri obseruatur, sed & ipsa est parabolica, interfluentibus licet haud raro apertæ doctrinæ riuulis (ut Cap. I, 1 - 7. v. 28-33.) quo lectori sapientiæ auido, sed mysteriorum sapientiæ adhuc ignaro, tanto facilius redderetur ad hæc sacra accessus. Tantum vero abest, ut hac ratione aliquid decedat parabolico dicendi generi, ut ipsa docentis fidelitas, doctrinæque finis id quam maxime requirat, si non in omnibus, certe in iis, quæ scire omnes, & quidem sine mora, plurimum interest, ut exemplo suo ipse Christus passim edocuit.

Ceterum pericope hæc nouem priora capita completens, sæpe numero de *Muliere Aliena*, a qua sibi quilibet caue-

cauere debeat, quoniam sit vesana, loquax, mendax, fallax, impudica, adultera, & amatores suos in mortem & infernum det præcipites; e contrario vero de Vxore iuuentutis, cuius amore tuto quilibet exsatiari queat, quia vitam omnemque beatitatem homini largiatur, mentionem facit. Iteratus sermo de re eadem, si mala fuerit, mali periculique deuitandi magnitudinem, si bona, boni consequendi gravitatem, & in vtramque partem rem certam, indubitatam ac necessariam designat. Quid autem per vtramque mulierem intelligatur, hoc etiam atque etiam videndum est, vt percipiamus, ne fructu tam sanctæ & seriæ paræneseos priuvmur.

Quod per Vxorem iuuentutis increata Dei Sapientia, ὁ λόγος τῆς σοφίας, significetur, ipse Salomo integro capite octavo, nec non prioribus versiculis capitis noni tam euidentibus signis expressit, vt admodum vecordem esse oporteat, qui, si in Scripturis versatus sit, id in dubium vocare sibi sumserit. Per Alienam autem illam Mulierem, non desunt, qui, capite in primis secundo, sexto & septimo Salomonem sine parabola intelligere quamlibet meretriciam & adulteram mulierem statuunt, & inculcatione sexti præcepti sensum Spiritus S. circumscribunt.

vid. Geierum
in h. l.

Et negari quidem minime fas est, omnem fœditatem atque impuritatem carnis abominandam quam maxime, atque detestandam, hominesque ab ea dehortationibus creberrimis grauiissimisque cohibendos esse, fatente etiam homine pagano, nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem (cuius illecebris stupra & adulteria excitentur) hominibus a natura (corruptissima) datam esse. Neque parcus fuit Spiritus S. in detestando scortationis & adulterii crimine, immo in eo penitus ex omni rerum sacrarum commercio proscribendo & eliminando, siue Veteris, siue Noui Testamenti libros euoluas. In illo, neque e filiabus Israelis, Deus

Archytas Tarentinus in
Cat. M. Cicer.

Dent. XXIII, 17.

Ebr. XIII, 4.
Gal. V, 19. 21.
1. Cor. VI, 9.

inquit, *meretrix quæquam, neque Israelitarum scortator es!* In hoc vero, *scortatores*, ait, & *adulteros damnabit Deus*. Cumque hætenus omnis historia Scripturis consentiens clamet, nullum aliud libidine nocentius malum esse, quo, maxime si bene se res hominum habeant, omnis generis corruptelæ inuehantur, subito augeantur, & velut epidemicæ non privatos tantum homines, sed ipsa regna & imperia de statu suo dimoueant ac deturbent; numquam superfluum esse poterit, si tantum malum opera indefessa impugnetur. Supponitur id ipsum quoque haud dubie ab ipso Salomone, qui, quam dere stabile hoc sit vitium, re ipsa declarat, dum instinctu S. Spiritus, a serpentis antiqui incantatione mortifera, & toxico infernali mentem humanam præservaturus, similitudinem petit ab impudica muliere, quod animo impudico & impuro nihil castissimæ Sapientiæ magis aduersum inueniri queat. Nequaquam igitur sensui viri *θεοπνεύστου* contrarius est, quisquis verba eius tamquam dehortationem a scortatione & adulterio accipit.

Hoc vero affirmamus, Salomonem hic non minus, quam alibi, parabolas loqui; quapropter neque hic in eo, quod littera primum ostendit, subsistendum, sed res, quæ similibus tegitur, & doctrina, quæ sub parabola & ænigmatelate delitescit, inuestiganda est: in qua demum, si recte cognoscatur, ut in omni parabolico dicendi genere, dicentis scopus & verus sensus litteralis apprehenditur. Nam, quod supra dictum est, in prioribus nouem capitibus via sternitur ad doctrinam totius libri salutariter imbibendam. In eo vero introductionis huius cardo vertitur, & hic ei præfigitur scopus, ut fundamentum verum & vnicum sapientiæ, quod in timore Domini consistat, inculcetur, & ut unusquisque, ni oderit animam suam, ad amorem sapientiæ ac desiderium eius ardens, gratiæ cœlestis stimulo excitetur & adducatur.

Id.

Idcirco statim capite I. v. 20. Sapientia sistitur, con-
 querens de excœcata mortalium mente, eosque ab erroribus
 perniciosissimis, cum suauissimis promissionibus, tum
 comminationibus monitisque seueris reuocare studens. E-
 ademque Sapientia mox cap. II, 16 - 19. admonet *filium*, (qui
 futurus est, quisquis monenti paruerit) vt sibi caueat ab *Ali-
 ena Muliere*, eamque describit, quod *deseruerit ducem iuuen-
 tutis sue*, (Creatorem Deum) & *fœderis Dei sui oblita sit*, (initi
 in paradiso) *cuius domus ad mortem propendeat*, & *cuius orbita
 sint vitæ expertes*, (morte transgressionem mandati diuini e
 vestigio excipiente) *ita vt eorum, qui illam adeunt, nullus rede-
 at, aut mortem euadat*. Vt autem liquido pateat, Sapientiam
 profundiorum omnium malorum causam spectare, & plu-
 ra complecti, quam externum adulterii flagitium; statim
orbitas rephaim, seu mortuorum, *femitis vinorum*; *viam ad*
interitum ducenti, quam latam Christus vocat, *viam arctam*
ducentem ad vitam; *bonis & iustis improbos & perfide agentes*, si-
 bi inuicem opponit. Cap. III. eodem in argumento per-
 gens, iis, quæ capite II. a Muliere Aliena dixerat pro-
 ventura esse mala, bona quam plurima opponit, quæ ipsa
 (*Sapientia*) certissime spondeat; id quod vel ex collatione
 v. 18. & 19. Cap. II. cum versiculo 17. 18. Cap. III. liquefeit.
 Cap. IV. aperte & sine parabola agitur, dum *sapientia & im-
 pietas* sibi opponuntur. Cap. V. parabola continuatur, &
 vt Cap. IV. impietas & sapientia, ita cap. V. hoc Mulier Aliena,
 & vxor iuuentutis sunt quasi e diametro oppositæ, & aper-
 te, quid ænigma significatum velit, v. 21. 22. 23. exponitur.
 Noua vero, sed ad eundem scopum, (quod ostendere
 iam nostrum non est) tendentia prouerbia Cap. VI. subiun-
 guntur; iterumque ad parabolam de Aliena Muliere redit
 oratio eiusdem capituli v. 24. Parabolæ autem sensum subse-
 quens caput. VII. declarat, vbi Mulieri Adulteræ denuo Sa-
 pientia opponitur, hominesque monentur, vt hanc soro-
 rem

Gen. I, 26. 27.
c. II, 16, 17.

Rom. V, 12.

v. 18. 19. 20.

Matth. VII, 13.

v. 21. 22.

v. 18. 19. 20.
c. II, 16, 17.

v. 21. 22. 23.

rem & cognatam suam habeant, hoc est, cum ea arctissimo commercio coniungantur, & in coniugium spirituale coalescant, quo Alienam illam pestiferam Mulierem caueant.

His ita parænetice & grauitè toties totiesque inculcatis, tandem Sapientia parabolam, quam præcipue aliquoties attigerat, plenissime pertexit, & longe amplius, quam factum erat hætenus, deducit. Capite enim VII. v. 7. sqq. hominem primum in statu integritatis non persistentem, astutia diaboli ab obseruatione mandati diuini, & innocentiae custodia abductum, in peccatum prolapsum, mortisque reum factum, viuis coloribus depingit. Capite VIII. & ex parte c. IX. ipsa se quasi coram sistit Sapientia increata, quæ miserrimo iam homini medicam vocem & manum adhibeat, immo eum in peccatis mortuum resuscitet, a damnatione æterna vindicet, & per se ipsam in libertatem & vitam adserat. Capite denique IX. v. 13. sqq. quasi ex orco redeuntem Mulierem illam Alienam, effrenam & adulteram denuo repræsentat, & eam quidem insurgentem contra homines, euangelio Christi seruandos, & fucata sua sapientia veræ Sapientiæ opus irritum reddere conantem. Ea vero ultimo hoc loco Alienæ Mulieris datur descriptio, vt etiam illi, qui superiores descriptiones ad simplicem dehortationem a scelere fornicationis & adulterii referunt, inficias ire nequeant, hic non amplius agi de adulterio externo, sed de tentata nouo impetu ab antiquo serpente corruptione hominum, eorumque in viam mortis abstractione fraudulenta ab eo, qui est *via, veritas & vita*, sermonem esse, vltro fateantur. Si autem negari nequit, Salomonem vltima hæc verba cap. IX. parabolice protulisse, quo pacto sibi persuadere aliquis poterit, quod in superioribus sine parabola locutus sit? Manifestum enim est, quod iisdem ferè verbis & phrasibus vbique parallelis vtatur. Quando enim e. gr. cap. IX. ita concluditur: *sed ignorat ille expertes vita illic esse; in profundissimo sepul-*

vid. Geier. in
c. ix, Prov.

Ioh. xiv. 6.

sepulchro inuitatos ab ea: cap. II, 18. 19. dicitur: *propendet ad mortem domus, & ad expertes vitæ orbitæ eius; quicumque adeunt eam, non reuertuntur, neque adsequuntur itinera vitæ.* Et cap. V. v. 5. *pædes eius descendunt ad mortem, ad sepulchrum gressus eius pertinent.* Et cap. VII. 27. *via ad sepulchrum sunt viæ ad domum eius, descendentes ad penetralia mortis.* Annon igitur violenta foret textus detorsio, si quis verba eadem & æquipollentia multoties adhibita, & in quibus sensus diuersi causa reddi plane nulla potest, accipere in alio loco aliter, & de alia re, quam alio velit?

Quæ autem conuinci clarius de vero verborum sensu quis posset, quam ex oppositis iuxta se positis? In vulgus enim notum est, quod *opposita iuxta se posita magis elucescant.* Inuitari homines ad ineundum sanctissimum cum Sapientia increata commercium connubiumque spirituale, cap. in primis VIII. extra dubium ponitur, nec cap. V. v. 16. 17. 18. 19. idem coniugium innui, si cohærentia textus perpendatur, negari potest. Huic coniugio spirituali, quod *mysterium magnum* vocat *Apostolus*, opponuntur Impudicæ & Adulteræ Mulieris mortis instar euitandi, & numquam castissimis Sapientiæ nuptiis agglutinandi complexus. Quid euidentius igitur esse potest, quam detestabilibus hisce amoribus, ex lege oppositionis, notari adulterium spirituale, seu apostasiam animæ a fide, quam Christo, Domino suo, debet, ad falsam illam veneno infectam & contaminatam serpentis antiqui sapientiam, seu potius astutiam, quæ spiritu huius mundi hominem inebriat, lumine diuino exspoliât, necat? Vfitata sane hæc est virorum Dei, qui instinctu spiritus S. scripserunt, loquendi ratio, ut hanc turpissimam Apostasiam, Adulterii & Scortationis nomine appellent.

Quid miramur? Annon hæc ipsa meretrix & adultera cap. XVII. & cap. XVIII. Apoc. postquam vino impudiciæ perditum iuit reges & incolas terræ, in iudicium adducitur, omnis corruptionis reus, immo mater omnis scortationis & abominationis deprehenditur & condemnatur? Vocatur inibi omnis hæc tragœdia *Mysterium de Muliere*. Quid euidentius, quam hac appellatione *mysterio magno*, quod in vnione Christi spirituali cum anima quaque fidei consistit, *mysterium impietatis* opponi? Ea spiritus prophetici harmonia si vel tantillum animaduertatur, (posset enim facile pluribus explicari) haud difficulter intelligitur, Salomonem in spiritu iam vidisse, & per parabolam (a prophetico spiritu temporibus sequentibus pertextenda &

Eph. V, 32.

Ex. xxxiv, 15.

Deut. xxxi, 16.

Ier. II, 20. Cap.

III, 1-9. Ezech.

xvi. & xxiii.

&c.

Apoc. xvii, 7.

enoluenda) vaticinando expressisse *Myſterium vtrumque, Pietatis & Impietatis.*

Quandoquidem igitur in aprico poſitum eſt, Salomonem prioribus nouem capitibus Prouerbiorum parabolico ſcribendi genere, in primis in argumento iam indicato, vti, tanto nunc cognitu erit facilius, quis eius ſenſus ſit, capitibus ſeptimo, octauo & nono; vtpote in quibus fuſiſſime parabolas, de vtroque myſterio toties iam ſubindicatas proponit.

Aperte adfirmamus, *Salomonem in tribus hisce capitibus, tamquam compendio aliquo, omnia complecti, quæ de lapſu & reſtitutione generis humani, & de omnibus iis, quæ Serpens antiquus & Draco, qui eſt Diabolus & Satanas, contra Chriſtum vnumquam tentauit, & ad finem ſæculi tentaturus eſt, in tota Scriptura diſtincte & ordine expoſita habentur, quæque de victoria verbi Draconem debellantis omnis omnium temporum prophetia prædixit.*

Itaque cap. VII, 6. ſeq. æterna & increata Sapientia ſiſtitur, tamquam de cælo proſpiciens, & quaſi coram intuens, (omnipreſens videlicet & omniſcia) lapſum hominis miſere & acerbe per aſtutiam Serpentis circumuenti, atque in peccatum & mortem, quæ inobedientiam certo manebat, præcipitati. Prima hæc erat hominum & maxime horrenda a Deo Creatore defectio, quippe qua factum eſt, vt peccatum & mors in mundum intrarent, atque ita ad omnes homines mors peruaderet. De omnibus deinceps Adami poſteris, tamquam ad imaginem ipſius, non potuit non affirmari a Spiritu veritatis: *dicat ſtultus cum animo ſuo, non eſt Deus: corrumpunt, abominandam quamque actionem perpetrunt, non eſt, qui faciat bonum: Iehoua e cælis proſpectat ſuper filios hominum; vt videat, an ſit ullus, qui intelligat, qui exquirat Deum. Vnusquisque reſceſſit, omnes ſimul putidi facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vel vnus. Vt enim lapſus protoplaſtorum Sapientiam Dei latere minime potuit: ita etiamnum aperti ſunt eius oculi, & contuentur omnia, nec eos fugit aut præterit vllū vilius hominis peccatū, ſiue intra animum, ſiue factō externo committatur. Et quemadmodum res in prima transgreſſione peracta fuit: ita peragitur toties, quoties homo pleno voluntatis conſenſu malum perpetrat. Eadem enim ratione Iacobus rem deſcribit: nemo, dum tentatur, dicat, a Deo ſe tentari. Deus enim nec malis vnquam tentari poteſt, nec tentat ipſe quemquam. Sed vnusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abſtrahitur & meſcatur. Deinde cupiditas, poſteaquam concepit, parit peccatum, peccatum vero peractum gignit mortem. Siſtit ſe igitur ſua cuique cupiditas non aliter, quam Adultera illa Mulier, hominemque alle-*
ctum,

Prou. VII, 21.

22. 23. Gen, II,
16, 17,

Rom. V, 12.

Pl. xiv, 1, 2, 3.

Iob. xxxiv, 21.

Ier. xvi, 17.

c. xxxii, 19.

Hebr. iv, 12, 13.

Gal. i, 13, 14, 15.

Actum, & falsa pulcritudinis specie inescatum, variis paralogismis in partes suas pertrahere laborat, donec homo, nisi Deo adhærens cupiditati restiterit, suam cum illa voluntatem coniungat, atque sic spirituale illud & abominandum adulterium committat, in quo peccatum & mors progignitur. Tum autem sua quemque cupiditas facillimo negotio recto de statu deiicit, cum animus Christum non intime complectitur, sed quasi foras prodit, regimini sensuum temere se subiicit, & in externo huius mundi schemate inconsiderate oberrat. Tum enim in hominem miserum, secure nimis agentem, inopinato impetum facit animarum hostis, amicitiam simulat, fucato eum ore tentat, escam mortiferam ostendit, irritamenta suggerit, qua fieri potest optima specie persuadere conatur, ut appetitui sensuum obsequatur. Quid plura? Nisi homo in eo statu animo sincero ad Deum confugiat, & auxilium Spiritus S. imploret, de eo actum est subito, vincitur a propria cupiditate, lumen animi extinguitur, imprudens in servitutem peccati & mortis redigitur, voluntas in malo obfirmatur, ut vel non intelligat, vel fusque deque habeat, quod faucibus mortis æternæ, ipsoque orco quoad reatum iam sit conclusus.

Idcirco, postquam Sapientia discipulis suis reuelavit, quo pacto lapsum in Paradiso suis adspexerit oculis, eumque innumeris verbis iteratum & contingentem quotidie (a rebus enim in corrupto hoc mundo obuiis parabolam ideo arcessit) intueatur, tandem, inftar matris, tenerrime liberos suos etiam malos diligentis, blandis suavisque verbis admonet, ut quisque sibi a simili errore ac peruersitate caueat. *Quamobrem, ait, filii mei, auscultate mihi, & attentite ad sermones oris mei. Ne declinato ad vias illius animus tuus, ne aberrato in semitas illius: nam multos confossos deiecit, & numerosi sunt omnes interfecti ab illa. Via ad sepulcrum sunt via ad domum eius, descendentes ad penetralia mortis.*

Iam Cap. VIII. parabola quidem continuatur, verum Sapientia plane ad alium actum introducit. Neque enim hic de cælo prospicere, sed vocem suam attollere dicitur. *Nonne Sapientia clamat, & Intelligentia edit vocem suam?* Videlicet consummato primi hominis lapsu, eoque cum uxore sua a facie Dei fugiente, seque in arborum latebras abdente, primum erat, ut Deus hominem VOCARET. Audias ibi *Sapientiam Dei clamantem, Verbum Dei vocans*, homini lapsu se ultro offerens, Mediatorem se sistens. Adest *Medicus*, qui ex morte eripere valet, *Verbum ὑποστατικόν; Medicina*, quæ in vitam hominem reuocat, *Verbum προφητικόν; Nempe Evangelium Christi, quod est potentia Dei salut-* Rom. I, 16.
ris omni credenti. Non Deus hominem, sed homo Deum deseruerat; at

homo lapsus non arbitrio suo surgit, sed Sapientia eum erigit; peccato illaqueatus non Deum præuenit, sed gratia Dei præueniens misero occurrit. Ordinem hunc diuinæ æconomix transfer ad capitis VII. & VIII. Prouerbiorum accuratam considerationem. Eundem enim inibi expressum esse, & aliud ex alio haud aliter necti, perfacile res ipsa eiusque series te docebit. Atque hoc te conuincat, caput VII. plus quam detestationem adulterii complecti. Concedis, capite IIX. Sapientiam, Verbum Dei, Christum ad se omnes aduocare mortales, omnibus salutis viam commonstrare, Seruatorem omnibus existere velle. Vides autem, caput VIII. cum VII. copulari vinculo indissolubili, nullamque causam adsignari posse, quæ de diuersis agi argumentis vel probabile reddat. Num forte Christum dices, ad tollendam vnicam mali speciem verbo Evangelii nobis præsto fuisse, reliqua vero mala immo malorum originem non curasse? Si hoc absurdum videtur, id relinquitur, vt, quemadmodum capite IIX. remedium offerri vides, quo vniuersa corruptioni naturæ obuiam eatur, & homini perdita restituatur imago Dei, ita etiam capite VII. concedas Malum, cui remedium destinatur, non angustioribus, quam quibus comprehenditur, terminis circumscribi.

Vt autem Capite VII. de lapsu primi hominis non *exclusue* agitur, h. e. non ita, vt iteratus posterorum, quoties peccato mortifero implicantur, lapsus excludatur: sic etiam Cap. VIII. de vocatione primi hominis haud aliter agitur, quam vt vocationis eiusdem apud posteros continuatio includatur; qua ratione amplitudini sensus in vtroque capite fieri satis, & quidquid *particularis* ad eandem rem pertinentis sensus adferatur, huic *vniuersali*, salua rerum & æconomix diuinæ serie, subordinari haud coacte potest. A primo enim tempore *multis vicibus multisque modis Deus locutus est patribus in Prophetis*. In hisce igitur omnibus vox Sapientix audita fuit. Porro, etsi τὰ λόγια τῶ θεοῦ (oracula Dei) concredita Iudæis fuerunt, non passus tamen est Deus, se destitui testimonio inter omnes omni ætate gentes, bona tribuendo, dans iis cælicus pluias, ac præstituta tempora fructibus perferendis, implens cibo & delectatione corda eorum, iisque se manifestum fecit; ipsius enim inuisibilia iam inde a condito mundo ex iis, quæ fecit mente perpensa, peruiidentur, æterna videlicet eius tum potentia tum diuinitas, ad hoc vt sint inexcusabiles. Itaque eiusdem Numinis & ad eundem finem Iudæis & gentibus reliquis, sed diuerso modo & gradu, manifestationem dedit Sapientia, pædagogiam certe nullius non sibi vendicans, ita vt nemo, nisi sua ipsius culpa pereat.

Ebr. I. 1.

Rom. III, 2.
Act. xiv, 17.

Rom. I, 19. 20.

Ce-

Ceterum per Sapientiam a Salomone descriptam neque legem
 Dei scriptam, neque sapientiam humanam, neque et-
 iam Dei sapientiam, prout est essentialia Dei attributum, neque ali-
 ud quidquam præter Verbum Dei æternum, Filium Dei, intelli-
 gendum esse, & ipse textus cum historia creationis & initio Eu-
 angelii Iohannis aliisque Scripturæ locis collatio sedula facile,
 docebit, & ab aliis passim sufficienter solideque probatum est.
 Vnica hæc, Paulo teste, *nobis a Deo data Sapientia*; vnica hæc, quæ
iusta agnoscitur ab omnibus filiis suis; eademque est *Sapientia Dei*, quæ
 ait: *mittam ad eos Prophetas & Apostolos.*

Capite tandem IX. sermo de Sapientia continuatur, neque ta-
 men ea sistitur amplius, tamquam de cælo prospiciens, & trans-
 gressionem hominis intuens, vt Capite VII. aut hominem de statu
 misero revocans, vt capite VIII; sed domum sibi ædificasse, colu-
 mnas septem excidisse, mactauisse animalia sua, miscuisse vinum,
 & mensam instruxisse; atque tum demum misis virginibus suis in-
 vitasse omnes ad loca excelsa vrbs, dicitur. Aduertite quæso, ani-
 misque vestris, qui hæc in Salomone legitis, recolite, quanta com-
 miseratione conspexerit Sapientia lapsum hominis, sua se culpa
 & inobedientia a Deo temere abstrahentis, voluntarie Creatorem
 suum deferentis, mortisque & damnationis æternæ reatum scienter
 subeuntis. Videte porro & perpendite, quam serio, quam amanter,
 quam ardentem, quanta & vigilantia & perseuerantia retrahere
 inobedientem filium, eumque & omnes eius posteros seruare, ac ab
 interitu vindicare verbo diuino eadem *Sapientia* enitatur. Ea omnia
 vero dum nihil efficiunt, sed posterius potius Adami, *natura* iam fi-
 lio *ire* existentes, culpam augent, quid agendum sibi credit amanti-
 sima hominum *Sapientia Dei*? Quoniam, ait, (liceat nobis animi no-
 stri sensum hac ratione exprimere) homines sonantem in seruis me-
 is atque Prophetis, implentemque cælum & terram, vocem meam
 neque audire neque agnoscere dignantur, sed in erroribus perseue-
 rant, immo persequuntur & occidunt eos, qui a me eum in finem
 mittuntur, vt ipsi in gratiam cum Deo redeundi, vitæque & glo-
 riæ recuperandæ via commonstretur; Ipsa veniam, domumque
 mihi & tabernaculum inter filios hominum ædificabo. Ingens est a-
 mor, quo Sapientia hominem condidit; maior, quo immori-
 gerum & apostatam non illico perdidit, sed erexit verbo Euangelii, vi-
 am redeundi ad pristinum felicitatis statum ei aperuit, apertamque
 ingredi eum toties totiesque iussit; sed hic denum est amor maximus

ea collatio in
 libello Germ.
 cuius Tit. Chri-
 stus scriptura
 nucleus videri
 potest.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

1. Cor. I, 24.

30. Matth. XI,

19. Luc. VII, 35.

Luc. XI, 49, 50.

coll. Prou. IX,

1, 3.

Ioh. III. 16. & eminentissimus, omnemque cognitionem longissime superat, quo Sapi-
 entia apparere inter homines, Verbum caro fieri, atque sic inter homines ha-
 bitare voluit. Hoc enim est Tabernaculum Moſaico præfiguratum,
 hæc Domus Salomonis templo significata, quam sibi elegit Sapien-
 tia Dei, quam condidit Dominus & non homo, vt domum spiritualem sibi
 Hebr. VIII. 2. acquireret, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriationem spei (fundamen-
 c. II. 3. 5. 6. Eph. to regenerationis & iustificationis innixam) ad finem vsq; firmam retinu-
 II. 20. 21. 22. Ioh. orimus. Tanto maior vero culpa, tantoque reatus grauior eorum erit,
 xv. 22. ix. 43. qui, tantum amorem conspernati, verbo Dei viuo obicem po-
 Matth. XXI. nunt, & nihilominus non resipiscunt, vt seruentur.
 40. sqq. c. xxi. 7. c. xxiii. 34.

Sed videamus porro, quam dedita opera, quam diuino adpara-
 tu damna nostra reparare Sapiencia allaboret. Columnas septem excidit.
 Hæ robur ac firmamentum domus modo nominatæ designant. Sunt
 enim septem illa, hoc est, perfecta Spiritus S. dona, quibus sine mensura vn-
 ctus fuit Christus homo: vt Iſaias, super quo, ait, quiescet Spiritus Iehouæ;
 Spiritus Sapiencie & intelligentie, Spiritus Consilii & Potentie, Spiritus Scientie
 & Reuerentie Iehouæ. En plenitudinem Deitatis, & τὴν δόξαν τῆς Θεᾶς, (gloriam
 Dei) in Christo habitantem, qua impletus expiationem peccatorum nostrorum fe-
 cit per semet ipsum, caput serpentis contriuit, hominesque heredes Dei, suos
 autem coheredes constituit. Et quomodo dubium superesse posset,
 Salomonem, de exstruenda Sapiencie domo vaticinantem, subinnuere
 ac prædicere aduentum Christi in carnem, & cum eo connexam vn-
 ctionem diuinam, generis humani redemptionem, Spiritus S. effusi-
 onem, missionem Apostolorum, Euangelii prædicationem,
 sponsæque ad gaudia æterna præparationem? Sapiencia ipsa εὐσαγγε-
 λος Christus, Salomone maior, parabolam eandem adsumit, longius e-
 am prosequitur, expositionem eius genuinam in manus quasi tradit
 Matth. XXII. 2. sqq. & Luc. XIV. 16. sqq. Quibus ita non immerito
 suppositis, quis non intelliget, ad mortem Christi hic etiam digitum
 intendi? Pro nobis enim mactatus est agnus Dei, vt nos per ipsum
 viueremus; mortuus est pro nobis, ne amplius nobis, sed ei, qui pro nobis mor-
 tuus est, viueremus. Et quia non nobis, sed ipsi viuere tenemur, se quo-
 que nobis ad nutriendas & conseruandas animas nostras, & suffulci-
 endam resurrectionis spem, cibum dedit. Propterea ait: Ego sum panis
 ille viuus, qui ex talis descendit. Si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: pa-
 nis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

Ioh. VI. 51. vide etiam y. 53-58.
 Ioh. VI. 68. Pf. præparauit autem & instruxit mensam Sapiencia, cum in terra, verba vite æterna
 Lxviii. 19. Eph. adferendo promerendoque nobis bona cælestia, tum quando ad Patrem rediit, & dona
 IV. 8. pro hominibus accepit. Exinde enim Spiritum S. largissime effudit in corda eorum, qui
 credo.

credebant in ipsum. Vinctos sanctissimo hoc oleo, tanquam virgines sapientes, misit Ioh. VII. 38. 39. Apostolos, qui castas reddiderant animas suas per obedientiam veritatis, ut inuitarent o. Act. II. Tit. VI. omnes gentes ad beatam, non cum ipsis tantum, sed & vel maxime quidem, cum Patre 6. Heb. II. 4. & Filio *novarum*. Ita enim scriptum est, ait, & ita oportuit Christum pati, & resurgere Matth. xv. 4. ex mortuis tertio die: & predicari eius nomine remissionem peccatorum 1. Pet. I. 22. apud omnes gentes incipiendo ab Urbe Hierosolymorum. Euangelium igitur est, quod Sa- 1. Ioh. I. 1, 2, 3. lomo annunciatum iri parabolice significat cap. ix. 4-12. optimeque cum eo, & quoad Luc. xxiv. 46. rem & quoad verba, consentit Iesaias Cap. LV. 1, 2, 3. Quæ & similia vaticinia cum 47. impleta essent, Paulus merito iubilans exclamat: Magnum confessione omnium est 1. Tim. III. 16, pietatis mysterium: Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu, conspectus est ab Angelis, predicatus est gentibus, fides illi habita est in mundo, sublatus est in gloriam. Sed quid porro ait Paulus? Spiritus autem, pergit, diserte dicit, fore et posterioribus temporibus descendant quidam a fide, attenti spiritibus deceptoribus, ac doctrinis demoniorum. Videlicet vno ore viri Dei testantur, Apostasiam futuram esse, & spiritum Anti- 2. Thess. II. 3. sq. Christi contra Christum insurrecturum. Hoc ipsum igitur nec a Salomone prætermittendum erat. De hac enim Apostasia, pro sua scribendi ratione, parabolice sic loqui- 1. Ioh. II. 18. 22. Apoc. XIII. c. tur: Mulier solida, strepera est, fatua, etsi nescit quidquam, tamen sedet ad ostium domus sue, super solium, in locis excelsis urbis, ad auocandum viatores, qui recta eunt itin- xviii. 4, 5. 6. meribus suis, & quisquis fatuus, diuertito huc, & quisquis est demens, dicit ei, aqua furtive suaves sunt, & cibus latebrarum amenus. Sed ignorat ille mortuos illic esse, & in profundissimo sepulcro inuitatos ab ea. xviii. 3.

Idem sane est Serpens, idem Diabolus & Satanas, qui primum hominem a Deo ali- Gen. III. 1. Ioh. nauit, qui posteros eius veneno peccati originalis infectos, magis magisque in deuia- V. 19. Apoc. XII. & præcipitia abducere laborat, eosque adigit, ut persequantur illos & occidant, per 9. Ioh. VIII. 40. quos seruari deberent: & qui ipsi Christo, promisso semini mulieris, calcaneum con- 41. 43. 44. 59. truiuit, tandem in spiritu Antichristi extrema tentat, ut actu pariter ac tyrannide supe- Prou. ix. 7, 8. ret sapientia filios, vano licet conatu & irrito, posteaquam princeps ille tenebrarum. Matth. xxiii. 34. Principi vitæ succubuit. Beatus igitur est, cui oculos aperuit Deus, ut letalem morsum cap. xxii. 6. vereris Serpentis in corrupta sua natura agnoscat, seque vitæ, quæ ex Deo est, nisi rege- Gen. III. 15. A- neretur, orbatum perferat. Immo beatus est ille, qui aurem præbet vocanti Sapien- poc. XII. 17. c. tix, ac voci eius auscultat, ut adeo cum illa commercium, & ab illa vitam obtineat. xiii. 17. c. xvii. sempiternam. Certe habitabit in ipso, & arcissimo sanctissimoque coniugio cum eo 5. 6. Matth. copulabitur, & virtutibus sancti Spiritus fructibusque infusa eum implebit; instruet co- xvi. 18. Ioh. XIV. ram eo mensam e regione hostium eius: delibatum reddet inguento caput eius, poculum 30. c. xvi. 33. eius exuberans. Nihil nisi bonum & benignitas prosequantur eum omnibus vitæ diebus, & c. x. 28. 29. quietus erit in domo Iehoue in æternum. Num. xxi. 8.

Quid autem hæc omnia ad Vos, o Nostrum? Vobis omnino dictum est, quidquid ha- Ioh. III. 14. Eph. stenus adlatum. Vos Sapientia per Salomonem in Prouerbiis haud minus quam alios com- IV. 18. pellauit, filios nominauit. Nomine autem hoc tum demum digni eritis, si Sapientia albo Matth. xi. 18. nomina vestra serio & ex animo dare non dedignemini. Quæso, cur ad hanc liberalium sqq. artium & scientiarum, quam vocamus, officinam accessistis? Ut animum rerum opti- Ioh. V. 40. marum studiis excoleremus; respondebitis. Si hoc ergo a Vobis agitur, ut prudentio- c. xiv. 23. res & sapientiores cultura ingeniorum euadatis, quid prius habendum est Vobis, quam Ioh. I. 14. ut ad ipsos purissimos sapientia fontes aspirantes, procul non tantum a foedis cupiditati- 1. Cor. III. 16. bus & lasciuis cogitationibus, quibuscum nihil Sapientia habet commercii, sed etiam ab 22. Cap. III. 17. omni falsa sapientia, & ab ipso spiritu mundano recedatis. Mundus enim (h. e. homines, Eph. II. 20. 22. qui spiritu huius mundi gubernantur) spiritum veritatis accipere nequit; nec fides eum, neq; Hosea II. 19. 20. cognoscit. Peruersa enim ratiocinationes separant a Deo - inq; malitiosum animum non in- Phil. I. 11.

tras Pl. xxxiii. 3. 6.

Ioh. xiv. 17.

Sap. I. 3. 4. 5.

I. Ioh. II. 15.

Sir. I. I.

Pet. Posset lib.

I. part. I. n. II.

Pl. cxI. 10.,

Prou. I. 7.

Ecclesi. &c.

2. Cor. VI. 16.

1. Cor. III. 13.

VI. 19.

Leu. xxvi. II.

Ezech. xxxvi. II.

2. Cor. VII. I.

Ezech. xxxvi. 26. 27.

Ef. LVIII. 13.

Ez. XLVIII. 35.

erat Sapientia, nec habitat in corpore, quod subiectum est peccato. Sanctus enim disciplina Spiritus fugit dolum, & abigitur ratiocinationibus hominum vacuorum intelligentia, & iniustitia aduentu fugatur & homini inutilis redditur. Ergo nihil agitis, quidquid agatis, quamdiu amorem mundi, peruersas ratiocinationes, animum malitiosum, dolum, iniustitiam non abdicaueritis. Omnis enim sapientia a Domino est, & penes eundem est perpetua. Quam igitur sapientiam se consecuturum speret animus mundo deditus, a Deo alienus? Talem certe ne ad limen quidem, nedum ad adyta sacrorum suorum, atque mysteriorum admittit Sapientia vera; Aliena autem Mulier, Sapientia falsa, Serpentis antiqui progenies, iuuenem ita, ut est vita huius mundi, versantem idoneum plane inuenit, quem in castes suos plectum in aeternam perniciem pertrahat & abripiat. Resili igitur, quisquis amore rerum huius mundi non extricatum sentis animum, neue cunctatus fueris in eius loco, neue ad eam oculum adieceris. Sic enim transibis alienam aquam. Ab aliena autem aqua abstine, neque ex alieno fonte bibe, ut longo viuas tempore, & addantur tibi (etiam post hanc vitam) tempora vite (vita aeterna): quae est paranesis salutaris Capiti IX. Prouerbiolum in versione τὸν LXX. in fine adiecta, reliquis Sapientia monitis, toties totiesque inculcatis, quam maxime parallela. Timor Domini initium Sapientiae Vobis exstat! ab eo quam receditis procul, tam procul ab ipso Sapientiae initio abestis. Optime & rectissime monuit Auctor libri de eruditione solida, superficialis & falsa: Scripturae sapientissime inculcant, TIMOREM DOMINI INITIVM ESSE OMNIS Sapientiae suae Eruditae verae: nam ex timore sincero, quo Mens erga Deum tangitur, timens ne ipsa Deo dissimilis sit, ei displiceat, neue in se habeat aut acquirat multa, quae non congruant cum similitudine & mente Dei, sit, ut incipiat & decernat a se remouere, repellere, disticere, quidquid rude & Deo dissimile, quidquid ei ingratum, in se suspicari potest; quae ab ipsa dem abstineat, atque iis solum acquirendis incumbat, quae diuinam illam similitudinem, diuinumque placitum decent ac referunt. Et hoc ipsum est vere erudiri, & ad veram tendere eruditionem; cuius initium, primumque punctum non potuit ordine magis exacto, seuero atque, ut ita dicam, magis mathematico vel philosophico proponi, quam in diuinis Scripturis designatum est, dum pro saliente verae eruditionis puncto hoc nobis commendat: TIMOR DOMINI, INITIVM SAPIENTIAE. Agite igitur, non legite tantum exhortationem Sapientiae prioribus nouem Prouerbiolum capitibus comprehensam, sed ut cum fructu legatis, Deum precibus exorate, & quae hoc pacto legitis, ponderate, ponderata apud animum custodite. Officii vestri Vos admoneant hi ipsi dies festi, quibus omnia personant predicatione donorum Spiritus Sancti, quem in corda suorum Sapientia Dei effudit. Sed quis inde fructus in Vos redundare potest, si ad Sapientiae verae amorem applicare animum detrectaueritis. Templum Spiritus S. quomodo reddemini, si fundamentum vnicum timor Domini non vere in mente vestra fuerit suppositum? Tum autem eritis & Vos esse probabit. Siuentis Dei templum, quemadmodum dixit Deus: Habitabo ac versabor apud eos, eroque eorum Deus, & ipsi mihi populus erunt: si purgantes eos ipsos ab omni & corporis & animi labe, sanctimonia persungamini cum Dei timore. Tum in Vobis impletum dicetur dictum Domini: Cor nouum dabo vobis, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & amouens cor lapideum e carne vestra, indam vobis eorum carnem: & spiritum meum ponam in medio vestri: quo faciam, ut in statutis meis ambuletis, & iuramenta obseruetis facientes ea. Tum dies festos vocabimus honorandas sancti Iehouae delicias, si a peccatis ad Deum, a tenebris ad lucem conuertamur, filii Sapientiae & Lucis euadentes. Tum pectora nostra a Spiritu Dei sanctificata locus erunt, de quo dicitur:

יְהוָה שָׁמָּה (Ibi Iehoua).

P. P. in Alma Fridericiana Fer: Pentecost: MDCCIV.

Litteris Orphanotrophii.